Σ. Θ.

DISSERTATIO PHILOLOGICA
De
CONJUNGENDO STUDIO LINGUARUM ORIENTIS CUM STUDIO GRÆCO,

Quam

JUSSU SAPIENTISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

Vacante Cathedrâ Linguæ Græcæ

ad d. 27 Nov. Anno. MDCCV.

publicè examinandam offert

M. JOH. LUDOVICUS FREY,
S. M. C.

Respondente

Florentissimi Ingenij Juvene


JEREMIA RAILLARDO,
Basil.



BASILEÆ,

Typis JOHANNIS BRANDMÜLLERI.





DISSERTATIO PHILOLOGICA
De
CONJUNGENDO STUDIO
LINGUARUM ORIENTIS
CUM STUDIO GRÆCO.



SI Romani olim, tùm ad Scientias omnivarias ſibi comparandas, tùm ad Linguæ ſuæ perfectionem conſequendam, Græciam ſibi adeundam, aut Græcæ ſaltem Linguæ non perfunctoriè operam dandam, non ſine ratione exiſtimarunt, haud minus æquum fuiſſet, ut & Græci ſimiles ob cauſas, non perpetuò domi deſediſſent, omnem eruditionem ſecum natam rati, ſed excuſſo torpore ac δοκησισοφίᾳ, curioſa ingenia, ſuſceptis in Orientem itineribus, in omnis generis antiquitatum eruderatione, linguarumque inſtitutâ collatione occupaſſent & exercuiſſent. Quod cùm factum non ſit, nec nobis ullum in præterita jus ſit niſi oblivionis, æquo animo ferendum, ac quod mutari non poteſt, arte ut corrigatur, ſi pote, efficiendum. Nobis, inquam, opera danda, ut, quod illi neglexerunt, pro virili præſtemus, atque collato Linguarum Orientis & Græciæ, ut & Antiquitatum utriusque ſtudio, quod uni deeſt, ex altero ſuppleamus. Factum id haud infrequenter à Viris longè Doctiſſimis non ſine felici ſucceſſu, locisque obſcuriſſimis ex tali collatione lux fulgentiſſima illata. Horum veſtigia hâc vice premere paucis animus eſt: non, ut omnia hanc circa rem quæ dici poſſunt, corradamus & colligamus,

nec ut ſcrinia illorum per omnia abſque diſcrimine compileſmus, quorum illud ſpiſſum volumen, non diſſertationem poſtularet, hoc à noſtris moribus alienum eſt, ſed ut exempla quædam inſigniora, utilitatem conjunctionis horum ſtudiorum monſtratura, partim ex præſtantiſſimis Illorum ſcriptis depromta, partim aliquali propriâ induſtriâ & exercitio obſervata, ſpeciminis loco proponamus.

II Duobus modis collatio hæc inſtitui poteſt, vel illuſtrando Linguam, Phraſes, Dogmata, Antiquitates Græcorum ex linguis, phraſibus &c. Orientalium, vel vice versâ; quorum priori ad noſtrum forum propiùs ſpectanti, relicto poſteriori, pauculam operam dare conſtituimus, conferendo Linguam, Libróſque (nam ad dogmata, opiniones, conſuetudines ritusque nunc non accedimus) tùm Helleniſtarum ita dictorum, tùm Ἑλλήνων genuinorum, cum Lingua, phraſibus, antiquitatibusque Orientalium, ὀφθαλμοφανῶς ita demonſtraturi, Orientalis eruditionis utilitatem & neceſſitatem ad intelligenda Græca non minimam eſſe.

III. Ad Helleniſtarum (liceat cum Viris doctis ita appellare Judæos ſimileſque verbis quidem utentes græcis, ſed genio Linguæ Hebraicæ aptatis) ſcripta intelligenda, quàm neceſſarium ſit Orientalia callere, dudum eſt, quod Viri Eruditiſſimi oſtenderunt. Vix verſus vel periodus ſine tacita ad Hebraiſmum alluſione in illis extat. Verba & phraſes illis uſurpantur vel Græcis auribus planè inſuetæ, vel in longè alium & diverſum ſenſum inflexæ, quibus fruſtrà quis vel in probatiſſimis Græciæ Scriptoribus explicationem quæreret. Quis, quid θάνατος, σὰρξ καὶ πνεῦμα, υἱὸς, αἰὼν, ξύλον, quid ἀστεῖος τῷ θεῷ, κλάσαι τὸν ἄρτον ſimiliaque innumera notent, exactè tenebit, niſi Hebræorum רוח, בשר, דבר, פרוס הלחם, יפה לאלהים, עץ, עולם, בן, reſpondere doctus ſit? Quis miram vocabulorum poſitionem, conſtructionem, pleonaſmos, ellipſes, enallagas, niſi ſtyli Hebraici peritus, intelliget? Tota ſanè conſtructionis ratio, geniusque horum Scriptorum tantopere à vera Græcitate abhorret, Hebraiſmumque ſapit, ut ipſi forte Græci in vitam redeuntes, illis intelligendis ſeſe impares faſſuri eſſent. Hæc verò ulteriùs hâc vice urgere nolumus:

integra

integra possunt consuli volumina hanc in rem adornata; alia exempla non minùs necessitatem studii Hebraici monstrantia, afferamus.

IV. Non rarò Scriptores hi verba purè Hebraica, sed literis Græcis expressa Scriptis suis immiscent, quæ densam caliginem parum assuetis Lectoribus offundunt. Quis ignorat, frequentissimè in Septuaginta Interpretibus Græcis, ipsisque N. T. paginis occurrere illa, Κύριος Σαβαώθ, σάββαλα &c. quæ merè hebraica esse sciunt, qui vel extremis labris Sacra hæc degustarunt? Nec est, quod quis existimet, hæc tantùm καὶ ὁμοιότροπα unicuique nota, inque ipsis vernaculis versionibus adhibita, illic reperiri: quin imò haud infrequenter, non mutato orationis schemate, vocibusque Hebraicis ad terminationem Græcam inflexis, verba obscurissima, nec ulli Hebraismi ignaro intelligenda, inserunt; sive nunc id factum sit ex imperitia Hebraici vel Græci sermonis, sive quod verba illis non succurrerint ἰσοδύναμα, sive quod pro nominibus propriis illa acceperint, sive alia de causa. Quis capiat illud τῶν Ἑβδομήκοντα; ἐν φυτῷ σαβὲκ Gen. 22. 13. illud ἐν τῷ ἄχει Gen. 41. 2. 18. illud πόλεις Μισὼρ Deut. 3. 10. illud εἰς τὴν Ἀματταρὶ 1. Reg. 20. 20. illud τοὺς ἑκατοντάρχους τῶν χορρὶ καὶ τῶν ῥασὶμ 4. Reg. 11. 4. illud χωθωνὼθ τῶν ἱερέων Neh. 7. 70. illud ἄμπελον σωρὴκ. Esaj. 5. 2. illud ἐν πόλεσι τῆς σεφηλὰ Jer. 32. 44. illud τὸ Θεὲ Ezechiel. 40. 7. alia, nisi ex Hebraïsmo cognoscat, quid sit כתנות ,בסבך ,באחו ,עדי מישר ,למטרה quid לכרי ולרצים quid בהנים ,שרק quid ובערי שפלה quid חתא? quis illa Theodotionis & Symmachi τοῦ φρουροῦ 4. Reg. 23. 11. ἀφαρφερὼτ Esai. 2. 21. Σὼρ ὠρὴβ Es. 10. 26. Σὶς ἀγὼρ Es. 39. 14. nisi Hebraicus textus suggerat illa פרורים ,לחפר פרות ,צור ערב ,סוס עגור ut taceam ea, quæ planè Græcam induerunt formam, qualia sunt τόκος, βαρχκιὴν, θίβιν, σιρῶνες &c.

V. Quam hæc & similia difficilia visa sint etiam eruditissimis sed Hebraicæ Linguæ ignaris Viris, monstrant liquidò illorum scripta. Recentioribus omissis, adeamus antiquos, ipsos plerosque Græcos natos. Quantopere se torserint in talibus enodandis, quas cruces hæc ipsis fixerint, quàm totum eruditionis Græcanicæ penum, verùm incassum, sollicitaverint, luculento

 testi-

testimonio nobis esse possunt monumenta ab illis relicta! Quid non commenti sunt in illud 4. Regum 2. 14. πῦ ὁ Θεὸς Ἠλιὺ ἀφφώ? *ubi est Deus Eliæ* ἀφφώ? Quid hoc ἀφφώ? Nomen *Patris* juxta quosdam sensu diminutivo. At quomodo id? Mutetur scilicet ἀφφώ in ἀπφώ & ἀπφώ in ἀπφῦς, hocque diminutivum dicatur τῦ πάππα, abjecto π initiali, conversoque π sequenti in φ & α in υς, & exurget vox desiderata ἀφφώ. Sic Etymol. Magnum: ἀπφῦς, ὁ πατὴρ, εἴρηται ὑποκοριστικῶς ἀπὸ τῦ πάππα, ὃ σημαίνει τὸν πατέρα, ἀφαιρέσει τῦ καταρχὰς π, ἄππα, ἀππῦς, καὶ τροπῇ τῦ π εἰς φ ἀπφῦς, ὡς διοῦς ὁ διόνυσος. Aliis hâc voce notatur διπλασία χάρις, ἡ διπλῆ χάρις Πνεύματος ἁγίυ, *duplex gratia Spiritus S.* quæ interpretatio, quibus fidiculis extorta sit, vix Oedipus diceret. Alii per νῦν *nunc*; alii Theodoretum secuti, per κρύφιον vel ἀπόκρυφον, *occultum* interpretantur: Suidas: ἀπφώ, ὃ σημαίνει τῦ ἀποκρύφυ ἢ τῦ ἀποκρυβέντος. it. ἀντὶ τῦ νῦν. Nemo horum animadvertit, aut si animadvertit, intellexit vocem ex Hebraico textu retentam. Scilicet ibi habentur אף־הוא *afhu* vel ἀφφώ, voces propter obscuritatem à Græcis Interpretibus in versione retentæ, quarum sensus est: *ubi est Deus, Deus Eliæ, Ipse, inquam, ubi est?* vel meliùs, verba hæc cum sequentibus construenda adque Eliam referenda in hunc modum: *ubi est Deus Eliæ? etiam ille sc. Elias, divisit aquas:* ut ו in ויכה sit merè conversivum.

VI. Non absimiliter cespitatum est in loco mox citato Gen. 22. 13. ἐν φυτῷ σαβὲκ. Nonnullis hoc σαβὲκ idem fuit, quod βάθος vel βάτος, *rubus*: aliis notare visum ὄρθιον, *erectum: ut idem valeat*, (verba sunt Scholiastis in hunc locum) *ac si diceretur hircus erectus, qui in virgultum ascenderat: hoc autem loco erectus cornibus detentus, ut sit manifestus typus crucis.* Sic PseudoAthanasius; φυτὸς σαβὲκ ὁ τίμιος ἐστι σαυρὸς in Int. Parab. quæst. 66. sic Procopius, alii. Nempe ludrica vocis interpretatio non sufficiebat: typus adhuc καὶ μέγα μυστήριον ex non intellecto vocabulo erat fingendum! Cui absurditati mantissam porrò addere dignati sunt nonnulli ex recentioribus, Christum verbis istis Ἐλὶ Ἐλὶ λαμὰ σαβαχθανὶ ad eandem plantam σαβὲκ allusisse, nobis revelantes. Tandem nonnullis, ut Suidæ, id vocabulum significare

care videtur *ἄφεσιν ἀπὸ τῆς Σύρας*, *dimissionem ex linguâ Syriaca.* quasi verò שבק & סבך non essent toto cœlo diversa! Aliorum hallucinationes non minus enormes mittimus, ortas similiter ex ignorantia Hebraismi, ex quo nemini non constat σαβὲκ vel סבך esse *perplexitatem.*

VII. Quin & subinde eousque quorundam processit licentia, ut non modò absque subsidio Linguæ Hebraicæ textum græcum explicare, sed & emendare, vocabulaque peregrina levi aliquâ mutatione, ut sensus exurgeret commodior, paululùm ad Græca accommodare sustinuerint. Illustre hujus rei exemplum nobis suppeditarunt Viri Doctissimi ex loco celebri Ester. 9. 26. 29. ubi ita legimus in versiône τῶν ό: *διὰ τοῦτο ἐπεκλήθησαν αἱ ἡμέραι αὗται Φρουραὶ διὰ τοὺς κλήρους, ὅτι τῇ διαλέκτῳ αὐτῶν καλοῦνται Φρουραί.* τῷ Φρουραὶ in Hebræo respondet vox Persica פור. Vix dubium ergô quin illud ρ in Φρουραὶ à male sano aliquo forte Critico hic intrusum, ut vox affinitatem cum Græcorum Φρουρεῖν nancisceretur, sit tollendum, legendumque Φουραὶ, quod exacte convenit cum פור vel פורים, *Sors, & dies Sortium.*

VIII. Quicquid de hoc sit, idem saltem mendum Josephi Historiographi Judaici codices nonnisi per audaciam Criticorum, invasisse probabilissimum est. Sic ille secundùm codices nostros eadem de re infit ἀρχ. Lib. 11. cap. 6. *Διὰ ταῦτα μὲν Ἰουδαῖοι τὰς προειρημένας ἡμέρας ἑορτάζουσι, προσαγορεύοντες αὐτὰς φρουραίους. Propterea Judæi prædictos dies festos agunt, nuncupantes eos Φρουραίους.* Pro Φρουραίους, Φουραίους olim lectum fuisse, vix ambigendum videtur. Incommoda vox & nullius sensus imperitis hominibus visum est illud φουραίους: mutanda fuit in notiorem, quâ substitutâ, longe pulcherrimus sc. oritur sensus: Φρουραῖοι nim. ut φρουροὶ, *custodes*, derivatur à Græco Φρουρεῖν, *custodire*, *servare*, Josephusque sic hoc dicet; *vocantes eos dies observatorios:* i. e. qui observari sequentibus temporibus debent, vel *servatorios:* i. e. quibus Judæi servati sunt: sic sane Ruffinus interpretatur; *appellantes eos conservatores:* consimiliter & Josephi interpres recentior, & qui illum vel κατὰ πόδα sequitur vel sine causa deserit, Gallicus, nitidè scilicet verba ita παραφράζων: Les Juifs ont donné à ces memes jours le nom de Phrur, *c'est à dire, jour*

de conservation, à cause qu'ils furent alors miraculeusement conservé; quorum postremorum verborum nec vola nec vestigium in textu Græco deprehenditur. Septuaginta verò quod attinet, σφάλμα hic in illorum Versionem irrepsisse, nisi res ipsa doceret, docerent tamen codices quidam MSS. quorum aliquis ab Incomp. Usserio productus disertè Est. 3. 7. habet φρὶς Cap. 9. 26. διὰ τοῦτο ἐπεκλήθησαν αἱ ἡμέραι αὗται Φρουρεὶμ διὰ τοὺς κλήρους, ὅτι φοὺρ καλοῦνται &c. alius verò Φρυδία, quod quidem non minus corruptum, originem tamen suam adhuc sapit.

IX. Hæc observatio ad aliam nos ducit Hebraismi necessitatem agnoscendam, priori non minùs prægnantem. Hæc consistit in emendatione & correctione locorum corruptorum, quibus medelam feliciùs, quàm ex Textu Hebr. afferre nequimus, & absque quo vel omninò incassum vel satis periculosè curatio suscipitur. Pauca quædam hujus rei specimina in medium proferamus. Gen 8.7. in Versione Seniorum sic legimus: Καὶ ἀπέστειλε τὸν κόρακα καὶ ἐξελθὼν οὐκ ἀνέστρεψεν. Hebr. ויצא יצוא ושוב & *egressus est egrediendo & revertendo.* Qualis ἐναντιότης! Mirum, quantopere sudarint Interpretes in textibus his conciliandis. Quibusdam visum est Hebraicum Textum præter omnem rationem ad Græcum emendare; alii miris modis & ductibus hæc ἀσύγκλωστα conjungere & in gratiam mutuò redigere tentarunt. Dubitandum vix videtur, græca hîc depravata esse, illudque οὐκ vel planè ejiciendum, vel in καὶ, duriusculâ quidem, at Interpretibus his non insuetâ phrasi, comutandum, ut verba sic fluant; καὶ ἐξελθὼν καὶ ἀνέστρεψε. forte & ipsum ἐξελθὼν vertendum in ἐξῆλθε. quæ omnia & textui originali & rei ipsi melius quadrant. Negationem saltem huic Lemmati auferunt Procopius, ipseque Josephus, non rarò aliàs Græcos secutus, cujus in hanc rem hæc Lib. Arch. 1. Cap. 4. legimus verba: ὀλίγαις δὲ ὕστερον ἡμέραις μᾶλλον ὑποχωροῦντος τοῦ ὕδατος, μεθίησι κόρακα, βουλόμενος μαθεῖν, εἰ καὶ τὸ ἄλλο τῆς γῆς ἐκλελειμμένον ὑπὸ τοῦ ὕδατος, ἀσφαλές ἐστιν ἤδη πρὸς ἔκβασιν· ὁ δὲ (innuit τὸν κόρακα) πᾶσαν τὴν γῆν εὑρὼν ἔτι λιμνάζομένην πρὸς νῶχον ἐπανῆλθε.

X. Gen. 19. 33. & 35. hæc habentur: Καὶ οὐκ ᾔδει ἐν τῷ κοιμηθῆναι αὐτὸν καὶ ἐν τῷ ἀναστῆναι: *Et nescivit (Lot) in dormire illum*

lum & surgere. *Pro* αὐτὸν lege αὐτὴν nempe filiam, verſ. 33. quidem τὴν πρεσβυτέραν, 35. τὴν νεωτέραν : quod magis & rei & Originali convenit. Ita enim habent Hebraica בשכבה ובקומה, *in cubare illam & surgere illam*. Nec mendum tam facilè Textum Hebraicum invadere potuit, quia utrique verbo τῷ κοιμηθῆναι & τῷ ἀναστῆναι pronomen fœmininum adjungitur, inque binis verſibus, cum textui Græco bis id deſit : vindicantibus præterea omnibus antiquis verſionibus Hebraici textûs integritatem.

XI. Pſalm. 31. 15. Ἐν ταῖς χερσί σου οἱ κλῆροί μου. Hebr. בידך עתתי *in manu tua ſunt tempora mea.* Omninò illo κλῆροὶ expuncto, videtur legendum leviſſimâ immutatione καιροὶ, quod & Syrus & Chaldæus habent, quamque bene quadret nemo non videt. Saltem גרלי quod reſpondet τῷ κλῆροί μου, in ſuo exemplari Seniores non legiſſe, ob ſumam vocum diſſimilitudinem plus quàm probabile eſt.

XII. Pſal. 32. 5. Καὶ σὺ ἀφῆκας τὴν ἀσέβειαν τῆς καρδίας μου. Pro τὴν ἀσέβειαν τῆς καρδίας μου Heb. contextus habet עון חטאתי *iniquitatem peccati mei.* Quid, nùm ergò חטאה *peccatum*, Græcis eſt Καρδία ? Legamus τὴν ἀσέβειαν τῆς ἁμαρτίας μου : quod ab illo non longè abit & ſenſum fundit Originali conformem.

XIII. Job. 30. 28. Στένων πεπόρευμαι ἄνευ φιμοῦ. *Gemens ivi ſine fræno.* Hoc φιμοῦ quid ſibi velit & quomodo ex Originali fluat nemo facile divinaverit : ibi quidem Hebræa ſic ſonant: בלא חַמָּה *absque Sole.* quæ optimè conveniunt præcedentibus : *atratus incedo ſine Sole.* Quid verò τῷ φιμῷ, *fiſcellæ* vel *fræno* cum *Sole*, & quis totiûs lemmatis ſenſus ? Eſaj. 37. 29. hæc vox φιμὸς reſpondet non malè τῷ חח, *hamus* ; at hic plane nihil ſimile. Lege ergò θυμοῦ, *ſine ira.* at quid τῷ θυμῷ cum Sole ? Nihil equidem ; ſed verbum illud חמה Seniores ſubſtitutis aliis punctis, in alium ſenſum legerunt, ita quidem חֵמָה quod *iram* ſignificare, hisque Interpretibus paſſim per θυμὸν verti, nemo tam parùm in illis profecit, quin norit. Olim ſaltem lectum fuiſſe θυμοῦ dubitare vix ſinit interpres Syrus, qui in multis Græcos ſecutus, & hic habet דלא חמתא *ſine ira* : ſic & Vulgata.

XIV. Eſai. 3. 6. Ἱμάτιον ἔχεις, ἀρχηγὸς γενοῦ ἡμῶν καὶ τὸ βρῶμα τὸ ἐμὸν ὑπὸ σὲ ἔστω. *Veſtimentum habes, dux eſto noſter, & cibus*

bus meus sub te sit. Primâ fronte omnia videntur bene fluere, nec ulla mendi species occurrit. At si textum originalem & alias conferamus Versiones antiquas, ambigere vix possumus, quin illud βρῶμα mendosum sit. Verbum מכשלה illi respondens nihil minus, quàm βρῶμα, *cibum* significat. Paucis ergò mutatis lego πλῶμα, quod, quàm egregie Vocem Hebraicam, *ruinam*, *casum* significantem exprimat, nemini non constat. Et sane sic Senes alibi voces כשלון & מכשל easdem cum מכשלה per πλῶμα reddunt. Esaj. 8. 14. ὡς πέτρας πλώματι quæ respondent Hebr. ולצור מכשל conf. etiam Prov. 16. 18. πρὸ δὲ πλώματος καταφροσύνη. Heb. לפני כשלון

XV. Esaj. 17. 10. Διὰ τοῦτο φυτεύσεις φύτευμα ἄπιστον. *Propterea plantabis plantam infidelem.* Quid? num hoc ullo modo exhibet Textum originalem, qui hic habet נטעי נעמנים *plantas amœnas*? aut quid viderunt Seniores, dum hæc ita transtulêre? Lege verò πιστὸν loco ἄπιστον, abjecto alpha initiali, quod ex præcedenti voce perperam ei adjunctum: quàm id facile accidere potuerit, sciunt omnes, qui vel per transennam manuscriptos codices inspexerunt. In illis enim voces ita malè sæpe disjunctæ sunt, ut cui hæc vel illa litera adjungenda sit, diu incertus hæreas. Accedit vocem ἄπιστον mox sequentibus verbis occurrere: fieri potuit, ut exscriptor non satis attentus oculis errantibus, ἄπιστον ex sequentibus desumserit. Illud verò נעמנים *amœna* Seniores, permutatis inter se gutturalibus, acceperunt pro נאמנים quod cum πιστῷ idem est.

XVI. Amos. 3. 13. Ἱερεῖς ἀκούσατε. Duo hic latent vitia ex Hebraico contextu nullo negotio corrigenda. Illud ἱερεῖς fini præcedentis versus annectendum, mutandúmque in ἀρὲς vel simile: sicque omnia faciliùs fluent & cum originali consentient, hoc modo: καὶ ἐν Δαμασκῷ ἀρὲς, quod respondet Heb. ובדמשק ערש sive nunc οἱ ἑβδομήκοντα illud ἀρὲς pro nomine sumserint proprio, ad quod illos facile inducere potuit verbum præcedens Δαμασκὸς, sive, quod frequens illis esse in superioribus vidimus, vocem Hebraicam, tanquam incertæ & dubiæ significationis, ex Textu πρωτοτύπῳ retentam Græcis literis exprimere maluerint. Mendum hoc jam suboluit D. Hieronymo.

XVII Do-

XVII. Docet hoc exemplum, ex collatione Textûs Hebr. non infeliciter quoque nomina propria, quæ plurima in editione τῶν ο´ leguntur admodum depravata, restitui posse. Pro exemplo sit illud 1, Chron. 4. 22. ἀβιδδὶς εἰς μαθουκιεὶμ vel, ut in aliis exemplaribus extat, ἀβεδηρὶν ἀθουκιίμ, quibus respondent Hebr. הדברים עתיקים à Senioribus pro propriis accepta; in quibusdam codicibus hæc rectè ita leguntur καὶ ἀδδεβαρὶμ ἀτθικὶμ. Sic non rarò superflua ope Hebraismi resecari, & tanquam glossemata ab imperitis librariis è margine in contextum intrusa, ejici possunt. Sed hæc similiaque temerè non sunt instituenda: fieri enim potuit, ut Seniores interdum codicibus usi fuerint in nonnullis à nostris variantibus; prætereaq; non semper κατὰ πόδα textum originalem reddere illis animo sederit, aliæve diversitatis hujus subfuerint causæ.

XVIII. Patet ex his, (nam ulteriùs hæc extendere, certasq; regulas, quibus loca ægra à sanis distingui, illaque curari possint, formare hâc vice nolumus) haud infeliciter emendari posse Hebraismi ope loca non pauca in mendo cubantia: verùm præterea ex dictis hæc duo non inutilia observamus: I. Viros quosdam Eruditos nimis extollere Textum Græcum τῶν ο´ dum eum ab omnibus fere maculis & nævis purgatum venditare, Hebræumq; ad eum emendandum magno supercilio dictare audent: cùm tamen constet, non solùm hodierna exemplaria Græca longè esse corruptissima, (quod fere nunc apud omnes saniores fidem obtinet, &, si nihil aliud, ingens saltem diversarum ejus editionum dissensus luce clarius monstraret,) sed & jam vetera gravissimis σφάλμασι fuisse deturpata, de quibus Doctissimi Patres conquesti, eaque corrigere annisi sint: nominatim Origenes in Matthæum & post eum Lucianus, de quo Suidas in voce Νοθεύει hæc ex alio Scriptore refert: ὁ θεῖος τοίνυν οὗτος Λουκιανὸς τὰς ἱερὰς βίβλους ἰδὼν πολὺ τὸ νόθον εἰσδεξαμένας, τοῦ τε χρόνου λυμηναμένου πολλὰ τῶν ἐν αὐταῖς, καὶ τῆς συνεχοῦς ἀφ᾽ ἑτέρων εἰς ἕτερα μεταθέσεως καὶ μέντοι καί τινων ἀνθρώπων πονηροτάτων, οἳ τοῦ ἑλληνισμοῦ προεστήκεισαν, παρατρέψαι τὸν ἐν αὐταῖς νοῦν πειρασαμένων, καὶ πολὺ τὸ κίβδηλον ἐν ταύταις σπειράντων, αὐτὸς ἁπάσας ἀναλαβὼν ἐκ &c. Satius ergo est, Textum Græcum ad Hebraicum, non verò vice versâ Hebraicum ad Græcum, quod quidam per ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς urgent, corrigere, modò nihil

 sub-

subsit, quod impediat, nec ubique talis curatio suscipiatur.

XIX. 2. Ex adverso, ex Exemplaribus, quæ nunc habemus, colligendum non esse, Seniores hos tam ignaros & imperitos Linguæ Sanctæ fuisse, eò quod tam enormem differentiam inter illorum Versionem & Textum Authenticum deprehendamus, nec quomodo ex illo talis interpretatio confici potuerit, cernamus, quod tamen nonnulli hanc ob rationem affirmant. Corrigendus ante omnia Textus, tùm ex Cod. MSS. tùm antiquis Ecclesiæ Patribus, tùm ex Hebraico, ubi id levi aliquâ Verborum mutatione, non obstante aliâ causâ, servatoque Hellenistarum consueto stylo fieri potest; tumque demum de illorum peritia vel imperitia judicium ferendum. Quin imò in locis desperatissimis literæ fortè unius transmutatione, additione, detractione aut vocum variâ conjunctione vel divisione textus Hebr. & Græc. in gratiam redigi possunt, evidenterque liquebit, quam feliciter οἱ ἑβδομήκοντα loca obscura interpretati sint.

XX. Accedamus nunc ad ipsos Græcos, & videamus, quantopere indigeant Linguarum Oriental. subsidio. De variis consuetudinibus & ritibus Græcis usitatis, de illorum Theologia, Philosophia &c. nunc non agimus: factum id à Veteribus jam & Recentioribus, demonstratumque innumera illis ex Oriente mutuò sumta, sed variè interpolata fuisse. Paucis duntaxat ipsius Linguæ indolem & vocabulorum originem inspiciamus, ut appareat, quam hic Orientalium linguarum cognitio necessaria sit. Et sane nemo nisi pervicax & cedere nescius vel imperitus, inficias ire ausit, multorum, ne dicam plerorumque vocabulorum Græcor. originem & Ἔτυμον in Oriente quærendum esse. Nec affirmare detrectabo, hominem aliquali cognitione Linguarum Orient. Græcæq; instructum in detegendis vocum originibus & radicibus plus promoturum, quàm Virum Græcè longè eruditissimum, sed Orient. ignarum. Id nos docent Græci ipsi, qui in scrutandis vocum etymis tam occupati, (hoc enim studium antiquis non Criticis solùm sed & Philosophis, teste Platone in Cratylo, visum est non modò non contemnendum sed valde excolendum) tamen vix hilum in plurimis Vocabulis profecerunt, Lectoremque incertis suis & plane pugnantibus εὑρήμασι longè incertiorem dimittunt.

XXI.

XXI. Quæris v. g. quid ſit vox Græcis Scriptoribus tritiſſima λίβανος, & unde originem trahat? Reſpondent eſſe δένδρον ἢ καὶ ὄρος οὕτω καλούμενον; dictum quidem alii παρὰ τὸ λίαν βαίνειν, eo quod valde aſcendit: alii παρὰ τὸ λείβω, τὸ ςάζω ἢ σπένδω, ut idem ſit λίβανος, quod λειβόμενος, fuſus, libatus: addent forte confirmationis ergò, exiſtimare Judæos αὐτὸν ὅλον εἶναι πνεῦμα καὶ Θεόν. At quî hoc? ἀναφερὴς γὰρ ἐςιν, ὅθεν καὶ αὐτὸν σέβονται. Quàm hæc abſona & inſulſa! Nunc Orientales adi, idem rogans: audies mox, vocem λίβανος, vocem Orientis eſſe, Hebr. לבנה Syriac. לבנתא Arab. לבאן ſignificantem *thus*: radicem eſſe לבן *album eſſe*: inde dictum eſſe thus, quia optimum & præſtantiſſimum hujus coloris eſt, teſtibus Plinio, Dioſcoride, aliis.

XXII. Unde deſcendat vox ἀῤῥαβών, ſcire deſideras? Reponent Græculi, notare τὴν ἐπὶ ταῖς ὠναῖς παρὰ τῶν ὠνουμένων διδομένην προκαταβολὴν ὑπὲρ ἀσφαλείας, formarique vel ex ἀῤῥαγὴς, *infractus, firmus*: vel juxta alios παρὰ τὸ ῥαιβὸς, *obliquus*, inde ῥαιβὼν, καὶ προσθήκῃ τοῦ α ςερήσεως καὶ ἀποβολῇ τοῦ ι fieri ἀῤῥαβὼν, quaſi dicas: ὁ μὴ συγχωρῶν ῥαιβὴν γενέσθαι τὴν πίςιν τῶν συναλλαξάντων. Scilicet! Hebraicæ originis hæc vox eſt, eademque cum Hebræorum ערבון *Arabon*; Arabumque ערבאן vel ערבון, Phœnicibus itidem, à quibus dein Græcis communicata, uſurpata: deſcendens à Radice ערב, quod Hebr. *ſpondere*, Arabib. in 2da conj. *arrham dare*, notat

XXIII. Quid Σαργάνη? Ἐςι πλεγμάτιον ἀπὸ σχοινίου γινόμενον εἰς ὑποδοχὴν ἰχθύων. *Eſt reticulum ex funiculo factum ad excipiendos piſces.* Non malè. At unde dictum? σάσσω ἐςὶ ῥῆμα. καὶ σαγάνη, καὶ πλεονασμῷ τοῦ ρ σαργάνη. Quam hæc longè petita! Σαργάνη extruſo ρ mutandum in Σαγάνη, hoc in σαγήνη tandemque non ſatis commodè deducendum ex σάσσω vel σάττω, verbo, quod fere nihil commune habet cum reti. Quanto facilius id derivatur ex Orientalibus, quibus סרג *implicare, funibus connectere &c.* inde סריג *perplexum, rete*, per omnia Græco ſimile. Unde porrò patet, quare σαργάνη non tantùm *funem* & *rete* ſed & *ſportam* notet: Sic enim Phavorinus: ἐςι δὲ καὶ εἶδος σπυρίδος. conf. 2. Corinth. 11. quia nimirum Sportula ex viminibus vario modo inter ſe implicatis & contortis, texitur: quemadmodum & Syri & A-

rabes corbem ערנה & כריגתא ab eadem radice nuncupant.

XXIV. Θεῖος apud Scriptores Græcos tam frequens, quare *Patruum & avunculum* notet, quoque ſenſu vel num omninò à Θεὸς deſcendat, quàm obſcurum dubiumque ipſis Græcis eſt! Etymol. Magn. ita: καὶ ὁ πατράδελφος θεῖος (ſub: καλεῖται,) οὕτω σεπτικὸς ὤν, ὅτι καὶ οἱ γονεῖς θεοὶ ἡμῖν εἰσι. Itane verò Parentes Dii ſunt, patruique divini! Quàm hæc ſapiunt ingenium Græculum ad fictiones natum? Quin dicimus θεῖον ortum levi ſed ſuetâ mutatione ab Hebr. דוד & θεῖαν, *amitam & materteram* à דודה quorum illud, ut in genere *amicum, dilectum*, ita ſpeciatim *patruum* hoc verò *amitam* &c. notare, quis ignorat?

XXV. Hæc ſimiliaque ſi quis ex Græcia derivare, magnoq; conatu & labore Grammaticam analogiam inſtituere in animum induxerit, æquè incaſſum laborabit, doctioribusque ludibrium debebit, ac Rabbinus aliquis, derivans vocem Græcam סנהדרין συνέδριον ex Heb. סן, quod *Legem* הדרין quod *repetentes* ſignificat; vel Scholaſticus quidam nugator *Athletam* ex *ad* & *Lethum*, quaſi fortis ad mortem; diabolum ex *dya* vel *duo* & bolus i. e. morſellus, quaſi duplex morſellus, quia mordet animam & corpus, componens; Similiaque ſine numero.

XXVI. Non audiendi ergò glorioſuli & κενόδοξοι, at imperiti Græculi in talibus: ex Oriente innumera vocabula, præſertim primitiva ſunt arceſſenda: id quod feliciſſimè fieri poteſt, modò uſitatæ & conſuetæ obſerventur regulæ, neç in nimiam licentiam degeneret hoc ſtudium Etymologicum, & ex quovis quidvis fiat. Οὐκ ἐκ παντὸς ξύλου Ἑρμῆς ἂν γένοιτο: Tametſi nonnunquam, tùm Græcorum, vocabula ad Linguæ ſuæ genium flectentium, ſtudio, tùm Orientalium populorum pronunciatione diversâ, tùm pravâ vulgi conſuetudine, aliiſque de cauſis, voces tantam mutationem ſubierint, tamque alienam formam induerint, ut vix aut ne vix ampliùs dignoſci queant. Facilia ſunt exempli vice ſequentia ſimiliaque: κάδος vel κάδδος ex Heb. כד, νάβλα ex נבל, κινύρα ex כנור, ναίω indeque ναὸς ex נוה, κέρας ex קרן, οἶνος ex יין πείθω itemque ἀπατάω ex פתה, σάκκος ex שק, σὴς ex סס, τρέφω ex טרף νάρδος ex נרד, βύσσος ex בוץ, κηρύσσω ex Heb. קרא vel Syr. כרז ὁδὸς ex arab. הדי &c. paulò difficiliora & cum aliquâ muta-

mutatione ſeq. λάμπας ex לפיר, τύμπανον ex תף, κίδαρις ex כתר, Θεὸς ex די. Sic transpoſitis literis, additâque Græcâ terminatione ex אב factum πατὴρ, ex אם μητὴρ; abjectâ primâ radicali ex צדק factum eſt δίκη, ex שרש ῥίζα; ablatâ vel mutatâ ultimâ radicali in terminationem Græcam ex אזן οὖς ex פעם πὺς, compoſitis verbis pluribus factum ex אש יה ἑςία &c.

XXVII. Jam ſi accedamus ad Antiquitates Græcorum, deprehendemus Illos in his perſcrutandis planè infantes & hoſpites fuiſſe, omniaque, quò ſimpliciores & incautos fallerent, denſiſſimis fabularum tenebris involviſſe. Nihil fuit tam ab omni veriſimilitudine remotum, quod non arripere ſatius duxerunt, quàm ignorantiam confiteri. Huc pertinet tota illorum fabuloſa ſive μυθικὴ θεολογία, quam aliquid veri & antiqui continere, jamdudum Viris erudit. ſuboluit: verùm hoc opus, hic labor erat, in tantâ caligine merſam veritatem deprehendere, illique lucem inferre. Factum id tamen non ſine ſucceſſu ope Hebraiſmi, ut ferè jam dici poſſit, nullam eſſe fabulam, nullum σέβασμα aut μυθικὸν, in quo non veſtigia quædam Orientis deprehendantur. Unicum nunc videamus exemplum Bacchi, cujus omnia ferè nomina & ἐπίθετα Orientalia videri poſſunt.

XXVIII. Communiſſimum, quo Græcis inſignitur, nomen ejus eſt Διόνυσος, quod cujus originis & ſignificationis ſit, multum inter ſe litigant ipſi Græculi. Quibusdam ita appellatur παρὰ τὸ διανύειν ἑκάςοις τὸν ἄγριον βίον ζῶσιν, aliis παρὰ τὸ διανοεῖν ἕκαςα τοῖς τὸν ἄγριον βίον ζῶσι. Sic Suidas: alii ita dictum volunt ἀπὸ τοῦ πολλὰ διανύσαι καὶ κατορθῶσαι: Sic Alex. Thaſius: alii ἀπὸ τοῦ δονεύειν καὶ κινεῖν τὰ σώματα, πλεονασμῷ τοῦ ι, ὡς πυκνὸς πυκινός: nonnulli ἀπὸ τοῦ Διὸς ὑετοῖς κεράννυσθαι, ὅ ἐςιν ὕδασι: ſic Ariſtodem. aut ὅτι τοῦ Διὸς ὕοντος ἐτέχθη: alii παρὰ τὸ δάος, δαόσυνος &c. alii ἀπὸ τοῦ νεύω, διόνευσος vel Διόνυσος, ὁ ποιῶν διανεύειν καὶ μὴ ςατερὺς εἶναι τοὺς πίνοντας: alii idem eſſe dicunt ac διόνυξον, ſic dictum, ὅτι σὺν κέρασι γεννώμενος ἔνυξε τὸν Διὸς μηρὸν; alii idem quod διάλυσον, παρὰ τὸ πολλὰ διαλῦσαι, alii quod Δεύνυσον, ἐπειδὴ βασιλεὺς ἐγένετο Νύσης· δεῦνον γὰρ τὸν βασιλέα λέγουσιν οἱ Ἰνδοί. alii aliter: piget enim plura adſcribere.

XXIX. Quis nunc ex infinito hoc ipſorum Græcorum diſ-

ſenſu

ſenſu certum eliget, & quænam etymologia amplectenda, quæ repudianda, docebit, cùm præſertim pleræq; tam futiles ſint, ut ne quidem cum ulla ſpecie ſeſe nobis probare poſſint? Quis non inde concludat, hos homines de re ſibi planè incomperta loqui, utque fucum faciant ſimplicioribus, ignorantiamque pallicat, quasvis fictiones prò veritate obtrudere? Unde ergò petendum etymon hujus nominis? Vix dubium, quin è regione aliqua extra Græciam ſita, Orientalibusque tractibus, unde tota μυθολογία fluxit, illud ſit arceſſendum, cùm præſertim ipſorum Græcorum nonnulli hic ad peregrinos ipſosque Indos confugiant. Vir Erudit. E Pocokius è ſententia Diodori exiſtimantis vocem hanc eſſe hybridam, compoſitam ex Διὸς & Νύσσα Arabiæ urbe, apud quam Bacchus à Nymphis fertur educatus, paululùm mutatâ, veram vocis originem eruere conatur. Cenſet enim ſatius eſſe, ſtatuere hanc vocem ex meris Arabicis, דו & נוסא conſtare, ſonareque *Dominum Nyſæ*: Sic enim דו Arabum frequentiſſimè *Dominum & Regem* notare pluribus probat; ſimul tamen faſſus, ſibi hujus Niſſæ apud Arabum ſcriptores nulla occurriſſe veſtigia. Hæc quin plauſibiliora ſint, ipſisque Græcorum traditionibus non malè quadrent, nemo talium peritus infitias iverit; num vero per omnia ſatisfaciant, ipſo præſertim Auctore ſubdubitante, nec quicquam meliùs reperiri poſſit, doctis judicandum relinquo.

XXX. Liceat ſaltem, quæ de hac re cogitanti in mentem mihi venêre, in medium proferre, eruditorum judicio ſubmittenda. Exiſtimem itaque, non malè ſtatui hanc vocem purè Arabicam, ſed conflatam ex binis his דו & אלנואסי vel omiſſo articulo נואסי *nawaſi*, quod genus eſt uvarum albarum, ex quibus egregiæ conficiuntur paſſæ: Significaret ergò דו אלנואסי vel Διόνυσος, *Dominum vel Inventorem uvarum*: (דו enim vocula latiſſimæ notationis eſt, nec abſurdè reſpondens Heb. בעל.) Quod quàm egregiè in Bacchum conveniat, nemo, qui vel à limine hæc ſacra ſalutavit, non videt: Sic de eo Tibull. Lib. El. 1.

Hic docuit teneram palis adjungere vitem,
Hic viridem durâ cædere falce comam.
Illi jucundos primùm matura ſapores,
Expreſſa incultis uva dedit pedibus.

Sic

Sic Eurip. Σεμέλης γόνος βότρυος ὑγρὸν πόμ' εὗρε καὶ εἰσηνέγκατο θνητοῖς. Sic Diodorus Lib. 5. Διόνυσον δὲ μυθολογοῦσιν εὑρετὴν γενέσθαι τῆς ἀμπέλου καὶ τῆς περὶ αὐτὴν ἐργασίας, ἔτι δ' οἰνοποιίας.

XXXI. Addunt Arabes, id genus uvarum magnâ copiâ provenire in tractu Ariæ; quam verò Ariam (nam plures hujus nominis esse notum est,) intelligant, non edisserunt. Intelligendum id videtur de Aria Indiana, sive nunc unicam ejus regionis Satrapiam, sive Ariam latiùs sumptam, complectentem, teste Plinio, quatuor Satrapias, Gedrosos, Arachotas, Arios, Paropamisadas, denotatam putemus; quæ satis conveniunt cum Historia Bacchi, qui prolixo Veterum consensu Indiam adiisse, subjugâsse, &, ut quidam tradunt, primam inde vitem deportasse fertur.

XXXII Nec quisquam miretur, nos originem hujus vocis petere ex Arabia, non verò ex Iudæa aut Phœnice. Præterquam enim, quod Orientalium linguæ facile commisceantur, hincque, ut vidimus, commodissimam nanciscamur derivationem, habemus exsertum Herodoti testimonium, asserentis Bacchi imprimis cultum apud antiquos Arabes viguisse: sic ille Lib. 3. Διόνυσον δὲ θεὸν μοῦνον καὶ τὴν Οὐρανίην ἡγέονται εἶναι - - - ὀνομάζουσι δὲ τὸν μὲν Διόνυσον Οὐροτάλτ, τὴν δὲ Οὐρανίην Ἀλιλάτ. Consentit, quantum ad Dionysi cultum Arrianus lib. 7. Hîc & aliud nomen Arabicum Bacchi extat, Οὐροτάλτ, vel, ut alia MSS. ὀροτάλ, quod Cel. Pocokio idem ac אלה תעלי *Deus supremus*, mutatâ scripturâ veteri in ὀλοτάλ, facili lapsu; Erud. Bocharto autem Syr. & Arab. ערטל vel ערטיל, *nudus*, aut *obesus*, est. Posses etiam id melius fortè ex binis his אור תעלי *lumen supremum* notantibus; egregieque Solem eundem, ut notum est, cum Dionyso Veteribus habitum, describentibus, derivare.

XXXIII. Huc accedit alius Bacchi titulus Δυσάρης, qui, quid sit, non adeò palam est. Suidas hac voce Martem notari putat; unde eam paulò aliter scribit, sic sc. Θεὺς ἄρης, τουτέστι, ejus sententiâ, θεὸς ἄρης. Sed nugatur pro more Græculus, vocem Arabicam ex Græcia derivans. Melius Hesychius, eumque secutus Phavorinus; Δυσάρην τὸν Διόνυσον Ναβαταῖοι (sic enim pro Μαβαταῖοι rectè legendum censent Viri Doct.) ὡς φησιν Ἰσίδωρος, subint. καλοῦσι. Habemus ergò denuò arabicum Bacchi nomen fatentibus

tentibus Græcis, רו אלשרי *duſchara*, arabibus ſonans, quod *Dominuum Schara* (locus erat haud procûl à Mecca diſtans, vel mons, ut alii, in Tahama &c.) ſignificare, ac Dauſenſium idolum fuiſſe, quidam Arabes tradunt, citati Pocock. in Spec. Arab.

XXXIV. Quin & ipſum Bacchi nomen ex Arabia arceſſendum videtur. Inſaniunt ſanè Græculi, ex βάζω id deducentes, quod ſcil. οἱ μεθύοντες πλείονι τῇ φωνῇ καὶ ἐνθυσιῶντες χρῶνται. Propius ad verum Phavor. Βάκχον, κλαυθμὸν Φοίνικες. Quis enim neſcit בכה Hebræis & Phœnicibus, *flere, ejulare*, notare? quod quàm hûc quadret, vide ediſſerentem Cl. Heinſium in Ariſt. Sacro. Omnium tamen optimè hûc facere videtur Arabum illud בח *Bacch*, quod nihil aliud quam exclamatio laudantis vel approbantis, Jo, Euge, Evax dicentis, eſt, deſcendens à בח: *magnus & præclarus fuit*: quo quidem affectus clamantis & vociferantis turbæ & admiratio erga Deum innuitur. Et quid aliud eſt illud Græcorum ἆσμα, ἰυοῖ, ἰυοῖ vel ἰυοῖ βάκχε, niſi talis ingeminatio, itidem ex Oriente deſumta?

XXXV. Quid verò celebre illud Bacchi cognomen σαβάζιος, & unde ortum? Fruſtra eſſet, qui hic nos ad Græcos amandaret, ipſis unâ fermè voce clamantibus, peregrinam eſſe vocem à Barbaris mutuo acceptam. Suid. Ἔτυχε γὰρ τῆς προσηγορίας ταύτης παρὰ τὸν γινόμενον περὶ αὐτὸν θειασμόν: τὸ γὰρ εὐάζειν οἱ βάρβαροι σαβάζειν φασίν, ὅθεν καὶ τῶν Ἑλλήνων τινὲς ἀκολουθοῦντες τὸν εὐασμὸν σαβασμὸν λέγουσιν, ἔνθεν σαβάζιος ὁ Διόνυσος. Quinam verò hi barbari, à quibus vocabulum deſumtum? Thraces alii, alii alios nominant; optimè dixeris Orientis populos notari: apud illos enim habemus hujus σαβασμοῦ originem, ſive illam nunc cum Bocharto ex סבא *inebriari*, ſive cum aliis ex צבאות *Zebaot*, ſive deniq; ex Orientalium שבח *laudare*, *celebrare*, petamus. Ad poſtremi hujus confirmationem facit illud Græcorum εὐοῖ, indeque ductum verbum εὐάζειν, *clamare*, *celebrare* notans, itemque ipſum Bacchi nomen ex arabica radice derivatum. Mittimus nunc alia ejus cognomina, qualia ſunt βασσαρεύς, βρομαῖος, Ἴακχος; plurimaque alia: de illis dicendi nobis copia erit in Lectione, ubi non ſolùm ſimilia exempla afferemus, ſed &, per quos & quâ viâ talia ab Orientalibus ad Græcos pervenerint, oſtendere conabimur.

XXXVI. Unicum nunc addimus coronidis loco, simplicissimum quidem illud, sed quod vel pertinacissimum ad assensum cogere queat. Literas ipsas Græcas, græcas non esse, si non Græcorum consensus, satis ipsa rei evidentia monstraret. Nec scio, an ullus Græculorum eò impudentiæ processerit, ut ex Hellenismo illas derivare ausus fuerit. Clamat ipsa res, clamant innumera antiquorum testimonia, Phœnicibus has deberi, à Cadmo in Græciam deportatas. Quid enim ἄλφα, βῆτα, γάμμα, δέλτα &c. nisi Hebr. אלף · בית · גמל · דלת Chaldaicâ vel Phœniciâ sub terminatione sunt? Benè alicubi L. De Dieu V. D. *Orienti doctrinam & famam suam debet Græcia, quæ à Cadmo Phœnicio Syriæ vicino literas se habere fatetur. Dic ἄλφα, βῆτα, γάμμα &c. jam Chaldaicè loqueris. Ingratus, ingratissimus, si reliqua istius linguæ addiscere non digneris, à qua, cùm Græcam discis, ipsa Elementorum nomina dono habes.* Dein Græcorum & Samaritanorum (hæ enim erant & Phœnicum literæ,) literarum figuræ tam sunt similes, ut cæcus sit, qui illas ex his expressas non videat; præsertim collatis antiquis literarum Græcarum figuris, cum antiquis Samaritanis, quarum rudera adhuc habemus in nummis: ne addam, ipsum ordinem literarum, numerandique rationem satis arguere, unde Græci hæc hauserint. Hûc refer quæ Eusebius hanc in rem disserit Προπαρ. Εὐαγγελ. B. 11. K. περὶ τῆς παρ' Ἑβραίοις τῶν ὀνομάτων ὀρθότητος: Αὐτίκα δὴ καὶ τῶν πρώτων τῆς γραμματικῆς στοιχείων Ἕλληνες μὲν οὐκ ἂν ἔχοιεν τὰς ἐτυμολογίας εἰπεῖν, οὐδ' αὐτὸς γ' ἂν φαίη Πλάτων, τὸν λόγον ἢ τὸν λογισμὸν τῶν φωνηέντων ἢ τῶν συμφώνων· Ἑβραίων δ' ἂν εἴποιεν παῖδες τοῦ τε ἄλφα τὴν αἰτίαν, ὃ παρ' αὐτοῖς καλεῖται ἄλεφ· τοῦτο δὲ σημαίνει μάθησιν &c vid. & sequentia, quibus quidem per omnia non suffragamur. Claudimus hæc verbis Josephi Lib. 1. contra Appion. sic arguentis: Τὰ μὲν γὰρ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἅπαντα νέα καὶ χθὲς καὶ πρώην, ὡς ἂν εἴποι τὶς, εὕροι γεγονότα. λέγω δὴ τὰς κτίσεις τῶν πόλεων καὶ τὰ περὶ τὰς ἐπινοίας τῶν τεχνῶν, καὶ τὰ περὶ τὰς τῶν νόμων ἀναγραφὰς &c. & paulò inferius: ὀψὲ δὲ καὶ μόλις ἔγνωσαν φύσιν] γραμμάτων. οἱ γοῦν ἀρχαιοτάτην αὐτῶν τὴν χρῆσιν εἶναι θέλοντες, παρὰ Φοινίκων καὶ Κάδμου σεμνύνονται μαθεῖν.

COROLLARIA.

1. Diſputant Philoſophi, quî fieri potuerit, ut Ethnicorum etiam ſapientiſſimi ideam plurium Deorum habuerint, cùm tamen Ens perfectiſſimum & à ſeipſo exiſtens nonniſi unum cogitari poſſit: at, nomine Dei illos non intellexiſſe Ens perfectiſſimum, ſi nihil aliud, prolixa ſaltem illa Θεογονία monſtraret.

2. Ipſique triginta Valentini Æones plurium Deorum Ideam non evincunt.

3. Nec antiquorum Perſarum duo illa principia contraria Oromasdes & Arimanius illis dicta.

4. Utile eſt, per aliquod tempus ſuperbiam humani ingenii edomare quæſtionibus Philoſophicis, quò ſic ad modeſtiam in rebus majoris momenti formetur.

5. Dantur enim in Philoſophia, non pauca δυσνόητα, quæ acutiſſima Philoſophorum Ingenia nunquam non exercuêre; in quorum cenſum refero moleſtiſſimam illam diſputationem de Vacuo.

6. Milleſimam minimi pulviſculi partem, mille & pluribus globis Terræ noſtræ æqualibus, obtegendis ſufficere, nihil minus quàm abſurdum eſt.

7. Argumentum, quo Carteſius probat mundi indefinitatem, æquè demonſtraret ejus æternitatem.

F I N I S.